S.MI D. N.

D. CLEMENTIS PP. VIII.

Pro Ordine S. Baſilij Breue, & Decreta Reformationis.

In quo Monaſteria S. Baſilij Eremi del Tardon, & S. Antonij de Valle de Galliguillos ab alijs Monaſterijs Prouinciæ Hiſpaniarum eiuſdem Ordinis ſeparantur, & in vnam Congregationem reformatam veræ & primitiuæ Regulæ S. Baſilij obſeruantiæ deputantur: cum eiuſdem Regulæ declaratione, & interpretatione.

Necnon ſecundum Eccleſiæ Latinæ ritum, & Occidentis Regionis mores diſpenſatione, ſeu modificatione ad illos Monachos, qui ſpiritu Dei ducti, voluerint Regulam ſtrictius obſeruare.





R O M A E

Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ.

M. D C I I I.

Ad perpetuam rei memoriam.



Altisſimi diſpoſitione, cuius inſcrutabili prouidentia ordinationem ſuſcipiũt vniuerſa, ad apoſtolicæ dignitatis apicem, licèt immeriti, ſublimati, ad ea ſolicitè ſemper intendimus, per quæ Religioſorum ſtatui, paci, & tranquillitati opportunè conſulitur. In his verò, quæ ad primitiuæ Sanctorum Patrum Religionis, inſtitutorum, Regulæ, obſeruantiam aliquatenus collapſam, ſeu perturbatam in priſtinum reſtituẽdã pertinent, auctoritatem noſtrã libenter interponimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

Duo Eremitoria Eremi del Tardõ, et vallis d Galliguillos, à Mattheo fundata ĩ Monaſteria Ordinis S. Baſilij, Gregorius xiij erexerat.

Sanè cũ fel. rec. Gregorius XIII Prædeceſſor noſter, duo Eremitoria, alterũ Eremi del Tardon Corduben̄ alterum Vallis de Galliguillos Hiſpalen̄ Diœceſis, ambo fundata à Mattheo quodã de la fonte de Almiruete Toletanæ Dioc. qui cum quibuſdã ſociis Deo placere, & Sanctorum Patrum in ſolitudinibus errantium, viuendi inſtitutum imitari cupientibus, ad illa ſe receperat: ibiq; oẽs diuinæ dediti contẽplationi, proprio labore victum parantes, pauperem vitam ducebant: vilibusq;, & aſperrimis veſtibus corpus domantes, neq; eleemoſynas petierunt, neq; oblatas receperũt; in Monaſteria Ordinis S. Baſilij Magni erexiſſet; ac illa cũ alio Monaſterio S. Mariæ de Ouiedo Giennen. Dioc. à fel. rec. Pij IIII. prius erecto, in vnam Prouinciam S. Baſilij Hiſpaniarum nuncupandam, necnon aliis Monaſteriis in Hiſpaniarũ Regnis in poſterum conſtruen. (vt de facto in Regnis Caſtellę, & in Boetica Regione poſtea erecta fuere) vniuiſſet;

Ac illa cum alio Monaſterio de Ouiedo, & aliis poſtea in Regnis Hiſp. fundãdis vniuerat.

Atq; ſub obedientia futuri Abbatis Monachorũ in Italia exiſtẽtium Generalis, incorporaſſet, aliaq; plurima ſtatuiſſet, prout in Literis ab ipſo datis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingẽteſimo ſeptuageſimo ſeptimo octauo Kal. Iulij Pontificatus ſui Anno ſexto, plenius cõtinetur. Cumq; ex dicta vnione multæ contentiones inter dictæ Prouinciæ Monachos ſuper modo viuendi exortæ fuiſſent: propterea quod omnia alia Monaſteria illis duobus à dicto Mattheo fundatis vnita, ex eleemoſynis, licet nonnulla partim ex ipſis, partim ex induſtria, victitarent.

Et ſub obediẽtia futuri in Italia Generalis ſubiecerat.

Ex tali vnione contentiones exortæ.

Multisq; ad tales contentiones ſedandas Viſitatoribus, & Reformatoribus Apoſtolicis per Nũcios noſtros miſsis, nullus vnquã eas omnino ſedauerit, neq; dictum Inſtitutum S. Baſilii de laborando manibus, & non petendis eleemoſynis in aliis Monaſteriis potuerit omnino introducere.

Ad illas ſedãdas Viſitatores Apoſtolici miſsi nullus ſedauerat.

Cum imò in vno illorum duorũ de Valle de Galleguillos nũcupato, mutatis ad illud aliorum Monaſteriorum Monachis, & Prælatis, necnon ſuffragiis Monachorũ laicorũ, qui illa fundauerant, in vniuerſum ſublatis pro magna parte, quidam ex dictis Viſitatoribus fecerit deferbere.

In Monaſterio Vallis de Galliguillos inſtitutũ laborãdi deferbuerat.

Laici fuerunt fundatores.

Quod idem in alio del Tardon contigiſſet, niſi diuino auxilio, & piorũ Monachorũ induſtria tueretur, ſicut hodie noſtris ad id literis ãno 1599. die 13. Decẽbris Põtificatus Noſtri Anno octauo datis, quib9 ſub excõmunicationis, & aliis pœnis, ne dicti Monaſterii inſtitutum de labore manuũ impediri, neq; Monachi ad illud neceſſarii ab ipſo auferri, ſeu alii introduci poſsint, interdiximus, inuiolabiliter tuetur, & conſeruatur.

In Monaſterio del Tardõ inſtitutum laborãdi conſeruatur, litteris Apoſtolicis tuetur.

Cũ præterea vltimus ex dictis Reformatoribus à noſtris Nunciis miſsis Epiſcopus Corduben. non ſolum dictum inſtitutũ, ſed & reliquam Monaſticam diſciplinã magna ex parte in aliis Monaſteriis labefactatã, necnon multos pios Monachos, qui illã quantum cõmodè poſsint, optabant reſtituere, cõperiſſet: non ſolũ dictũ Monaſterium del Tardon, quod Regulis S. Baſilii magis ſẽper adhæſit, ſed & alia duo aſsignauit, ĩ q̃ ſe reciperẽt, qui quaſdã ab ipſo conditas ſtrictiores, quàm anteà, conſtitutiones voluiſſent obſeruare.

Vltima reformatio Epiſcopi Corduben.

Quæ quidem Conſtitutiones cũ bo. me. Iulio Antonio Cardinali S. Seuerinæ nũcupato, pro tunc eiuſdem Ordinis apud Nos, & Apoſtolicã ſedem Protectori minimè probarentur, ijſdẽ reciſis, alias nouas conſtituit, quas à Nobis, & Apoſto-

Quæ reformatio Cardinali Protectori non placuerat.

Alia à Protectore cõſtituta.

lica ſede petiit confirmari, ſicut de facto confirmauimus, prout ex noſtris literis ad id datis, die vndecima Februarij 1602. Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo latius apparebit. Quarum executionem cũ multis aliis poteſtatibus, & facultatib⁹ Ven. fratri noſtro Sanctio Epõ Giẽnen. cõmiſimus, prout ẽt in literis ad ipſum eadem die datis plenius continetur. Poſtea verò cum ipſe Eps, ſicut ex illius literis accepimus ſuper dictis Conſtitutionibus exequendis cũ Monachis multis dictæ Prouinciæ tractaſſet, ferè oẽs iiſdem contradixere, atq; de aliquibus principalioribus (pręcipuè qua parte Monacis laicis ſuffragia, & præcedentię locorũ concedebantur: quaq; veſtitum ex ſaial, & excalciatos pedes in aliquib⁹ domibus deferri, necnõ eleemoſynas petere, cõfeſsiones ſecularium audire, & Verbũ Dei extra proprias Eccleſias oẽs prædicare prohibebantur) ſuper quibus à nobis diſpẽſari, & contraria cõſtitui, ac ſuper aliis oĩbus facultatem diſpenſandi dicto Epiſcopo cõmitti poſtularunt. Nos igitur attendentes eos Monachos, qui talia petunt nullatenus in vocatione Monachalis Regulę S. Baſilij, qua vocati ſunt velle permanere, ſed ſub dictæ Regulæ Monachalis profeſsione Mendicantiũ inſtitutum ſequi, & ita in alienã ſegetẽ (cũ Dñs nõ miſerit eos) falcem mittere, deſiderare; cupientesq;, atq; noſtra Paterna, Paſtoraliq; cura affectantes S. Baſilij regulã cum ſuo laudabili de labore manuum inſtituto in ſua propria, & primitiua Sanctorum Patrum obſeruãtia ſtabiliri, & perpetuò conſeruari: peritorũ in hac parte, virorũ vſi opera, dictas Cõſtitutiones, iterũ ſatis maturè examinauimus, eaſdemq; non ad mẽdicantium, vt petebatur, ſed ad verũ Regulæ S. Baſilij, vitæ cõtemplatiuæ, & Monachalis, laboriſq; manuum inſtitutum, (quatenus his tẽporibus noſtris Occidẽtis Regionibus, & Eccleſię latinæ moribus, cõgruit) contemperauimus, reduximus, & emendauimus. Et in primis, vt tandẽ dictis contentionibus ſuper modo viuẽdi ex ſupradicta vnione exortas, finẽ imponamus, dicta duo Monaſteria S. Baſilij

Executio Epiſcopo Gienen. commiſſa.

Epiſcopus Giẽnen. ante executionẽ reſcribit.

Monachos ferè omnes contradixiſſe.

Super quibus diſpẽſatio petebatur.

Summus Pontifex aliter decernit.

Deſiderat Regulam cũ laborandi inſtituto obſeruari.

Cõſtitutiones à protectore factas iterũ examinat, magiſque ad regulã reducit.

Attentis Occidentis Eccleſiæ moribus, et ritu cõtemperat.

Vnionẽ à Gregorio xiij. vt ſu-

Eremi del Tardon, & S. Antonij Vallis de Galliguillos, à dicto Mattheo cũ tali de labore manuum inſtituto, & cũ multis imò ferè omnibus Monachis Laicis iuxta primęuum S. Baſilij inſtitutũ, fundata: in Monaſteria reformationis, et veræ (vt prædiximus) Regulę obſeruantiæ deputamus, cõſtituimus, & ſeparamus: Ad quæ ſe recipiant omnes quotquot in dicta Prouincia, Monachi, zelo Dei, & Spiritu sãcto ducti, tãti Patriarchæ pręcepta, & inſtituta deſiderant obſeruare.

Quæ iuxta ſequẽtes Cõſtitutiones iubemus in omnibus, & per omnia practicari.

pra factã reuocat, et dicta duo Monaſteria ĩ vnam ſeparatam Prouinciam, ſeu Cõgregationẽ reformatã deputat.

Ad eos Monachos, qui voluerint Regulam primitiuam obſeruare.

Conſtitutiones Reformationis.

SAcroſancti Cõcilii Tridẽtini de Regulari reformatione veſtigiis inhærentes, vt Monachi S. Baſilii ad regulã, quã profeſsi ſunt, vitã inſtituãt, & cõponant, atq; in primis, quæ ad ſuæ profeſsionis perfectionẽ veluti obedientię, paupertatis, & caſtitatis, ac alia ſuę Religionis peculiaria vota, & præcepta, necnon ad cõmunẽ vitã, victũ, & veſtitũ cõcernentia fideliter obſeruẽt: in primis declaramus D. Baſilii inſtitutũ Monachale eſſe, & nõ ſolũ cũ cæteris in tribus ſubſtãtialibus votis conuenire, ſed etiam peculiaria præcepta ſuã eſſentiã concernentia quædam habere, quorum præcipua duo ſũt, alterũ in oratione, alterũ ĩ manuum laboribus ad neceſſaria cõparanda exercitatio, quibus etiã alia accedũt ad cõmunẽ vitam, victũ, & veſtitũ cõcernẽtia, de quorũ omniũ, & ſingulorum reformatione agendum eſt.

Seſſ. 25. de Regularibus c. 1.

De inſtitutionibus Monachorũ ſerm. 1.

Conſtit. Monaſtic. c. 2. regul. Fuſ. cap. 37.

De vita communi. Cap. I.

QVoniam autem finis præcepti charitas eſt, præcipimus, vt omnes Monachi in pręſenti reformatione, charitatẽ, & cõmunẽ, cõſimilẽq; vitã in omnibus obſeruent iuxta Regulam, quam profeſsi ſũt, & Monaſtica inſtituta, tam in oratione, Choro, & labore, quã in cibis, veſtimentis, calceamẽtis, & reliqua Regularis diſciplinæ obſeruãtia. Vnuſquiſque tamẽ iuxta officiũ, & vocationẽ ſuam, in ordinẽ ad vnã conſimilem, pfectiſsimãq; cõmunitatẽ, & charitatẽ.

1. ad Timoth. cap. 1.

Cõſtit. Monaſt. cap. 8. aliàs 9.

De nu-

De numero Monachorum. Cap. II.

In quolibet monasterio debēt esse ad minus 24. Monachi.

QVæ quidem vita communis, & Regularis obseruātia, vt rectius, & strictius inter multos possit obseruari; Volumus, vt omnes Couētus, numerosam Monachorum multitudinē habere procurent, nec in vnoquoq; Monasterio minor vigintiquatuor Monachorū numerus haberi possit. Cūm autē tēpore D. Basilii paucissimi fuissent Sacerdotes, imò ferè omnes Laici extiterint, excepto Abbate, qui etiā aliquādo Laicus fuisse reperitur, & ita omnes communiter psallerent, quod nostris temporibus propter maiorē intelligēdi nūc latinā, quam tunc grecam linguam difficultatem, maioremq; officii Romani in Choro prolixitatē, fieri nō potest: mediā, & nostris temporibus cōgruētiorē viā sequētes, licet maiorē, & principaliorē partē Monachorum, ex Laicis esse velimus, prout per presentes volumus, & ordinamus: sufficientes tamen Choristas, & Sacerdotes ad Chori, & Diuinorum Officiorum ministeria, haberi permittimus, vt ita alii aliorū opera adiuuētur, Choristę quidē, qui magis in Choro, & spiritualibus occupātur à laboribus nō quidē omnino, sed pro Chori, & necessarii cultus diuini frequētatione Prælati arbitrio aliquantulū releuandi Laicos, in spiritualibus adiuuabūt, Laici verò, qui magis à Choro, & spiritualibus releuātur manuū operibus, & laboribus plus dediti Choristas Fratres in tēporalibus pro parte etiam adiuuabunt, atq; ita in charitate alter alterius onera portātes, legem Domini adimplebūnt.

Ita ex multis Patribus adnotauit Illustriss. Card. Bellarminus, præcipuè ex sācto Hieronymo in Epistola ad Eustochium de virginitate S. Chrisostomo in lib. cōtra vituperatores vitæ Monasticæ. S. Augustin. de moribus Ecclesiæ lo. Cassiano de institutis renunciantium.

De Oratione, & Choro. Cap. III.

Reg. Fus. c. 37. & de institutionibus Monachorū serm. 1.

OMnes verò tam Laici, quàm Choristæ media nocte ad cōfitendū Domino surgent, quo tempore Matutinum Officium cū Laudibus Choristæ recitabunt, diluculo verò in ipso diei crepusculo, vel pauloante, maximè hyemis tēpore, omnes, tàm Laici, quàm Choristæ per singulos dies pariter ad orationem cōsurgēt, & in Choro cōgregati per dimidiā saltem horā orationē mētalē habebunt, vt primi animi motus Domino cōsecrētur, & in ipsius obsequiū omnes diei dirigātur actiones: oratione expleta, dum Choristæ recitant Primam, Laici Missā audiant, quā Tertia à Choristis recitanda sequatur, cui ēt Laici omnes iuxta D. Basilii preceptum, interesse debēt, & his finitis, vnusquisq; ad opus suū exhibit. Choristæ verò statutis ab Ecclesia tēporibus ad Chorū Romanū Officiū, & reliquas horas canonicas semper clarè distinctè, & deuotè recitaturi accedent, quas nec omnes, nec illarū quālibet cātabunt, exceptis diebus festiuis, quibus ab opere in Religione cessari solet, idq; minimè cantu figurato, seu aliquo alio arte ad discendo, sed modesta, pariq; voce aliquantum elatiori cātare consuescēt: Tempore autē Cōpletorii omnes iterū, & Laici, & Choristæ in Choro cōgregabūntur. Quo finito, per dimidiam saltem horā iterū orationem habebunt, in qua cōscientiā suā quisque examinabit, Reliquis verò orationis tēporibus, Laici vbicūq; fuerint, ibidē orabūt. Missæ verò solum similiter festiuis diebus regulariter cantabūtur, reliquis tamē omni cum deuotione celebrētur, quòd vt Sacerdotes melius faciant, eosdē à Matutino tēpore vsq; ad prādium solummodò à manuū laboribus excusāmus. Ne autē cōtra S. Basilium ob psalmodię simulationē, et Officii prolixitatem, labor manuū aliquatenus fugiatur, in Choro nihil aliud recitari volumus, quā quod ex Breuiario Romano Sacerdotes communiter ex præcepto, extra Chorū tenentur recitare, quòd ob dicti laboris rationē, Apostolica benignitate indulgemus.

d. c. 37. Vnde colligitur quod ad alias horas in Choro non conueniebant, exceptis diebus festiuis, et ita Illustrissimus Bellarminius ex Doctoribus vt supra.

De labore manuum. Cap. IV.

QVerendi victus solertia (vt verba S. Basilii de institutionibus Monachorum sermone primo referamus) his, qui in huiusmodi vitæ genere degant, ea maximè conueniens iudicanda est, quę prescripta est ab Apostolo, nimirum, vt manibus laborantes, panē suum honestè manducēt. Ex quo, & aliis dicti Patris locis, declaramus, Monachos Sācti Basilii ex peculiari suæ regulæ instituto, ad victū manibus propriis parādū saltem

Regul. Fus. 37. 42. & 53. Cōstit. Monasticarum cap. 4. aliàs 5.

saltem in cōmuni teneri. Atq; ita iuxta præsentis Reformationis statuta iubemus obseruari, in illis artibus, quas etiā S. Basilius cōcedit, præcipuè, quæ intra domū exerceri possunt, velut texendi, plectēdi, suendi, sarciendi, ac aliis secūdum locorum, et temporū exigentiā; Cū autē S. Basilius agriculturam, quia ea facillimè res ad vsum necessariæ haberi possunt, concedat, modo ea, neq; à vicinis, neq; ab accolis tumultus afferat, aut turbas; Nos eandem ad frumentum, vinum, mel, oleū, & cæteros agri fructus comparandos permittimus, Monachos tamen ī Domino exhortamur, vt dictas S. Basilii conditiones circa vicinorū, & accolarum tumultus, & turbas, atq; Monachorum distractiones, obseruent, & quantum fieri posit intra domum se exerceant, vt ita verè (vt aiūt) recollecti dici posint.

Reg. Fus. 38.

Ibidem.

Cōstit. Monasticarum c. 5. aliàs 6.

De esu Carnium. Cap. V.

ESum carnium nō omninò prohibemus, siquidē nec S. Basilius expressè prohibet, quia tamen illas ad condimentum tantummodo videtur cōcedere. Nos easdē diebus Dominicis, & tertiis, & quintis feriis nō ad gustum oblectandum, sed vires, & valitudinem conseruandum, extra Aduētum, Quadragesimā, et dies ab Ecclesia prohibitos, idq; semel in die tantummodo in meridiana commestione, permittimus: poterit tamē Superior ex causa circa dierum rationē, cū particularibus dispensare: nullo tamē modo cum omnibus ī cōmuni.

Cōstit. Monastica cap. 25. aliàs 26.

De vestitu, calciamento, & zona. Cap. VI.

PRæcipimus quoq;, vt omnes Monachi tam Choristæ, quàm Laici eodē vestitu, & habitu induātur, omnesq; similibus calceis, ex vili corio confectis, pedibus vndequaq; coopertis, calceati incēdāt. Quoniam tamē forma habitus à D. Basilio expressa non reperitur, ne amplius posit variari, definimus, quod debent in primis gestare tunicam clausam zona pellicea, siue ex corio nigro præcinctam, à collo ad talos vsq; dimissā, cuius fimbriæ sexdecim, manicæ verò qua latiores triū palmorū circuitum non excedant. Insuper caputiū, siue cuculla, quę caput contegat, & ad collum cum patientia, siue scapulari sarciatur, & adunetur, quę patiētia duorū tm̄ palmorū latitudine à fronte, & à tergo defluēs, priusquam tunica per quatuor digitos finiatur: à fronte tamen, siue ante pectus ex caputio super scapulari pars nulla pēdeat: à tergo verò in solitā pūctam eat. Deinde mantū sine colari, plicis, vel elegantia, ante collum ligatum, cuius longitudo priusquam scapulare per quatuor digitos finiatur. Materia autē totius supradicti exterioris vestitus sit vilis, crassa, & omnium infima, vt iubet D. Basilius; Declaramus tamē laneā esse debere, qualis ī Hispania reperitur, quæ ibidē vocatur Saial, ex quo necessario confici iubemus. Cum verò idem Sanctus Pater vestitū alium ad forēsem ostentationem, alium ad domesticū vsū partum, itemq; ad diurnum alium, aliū ad nocturnum tempus distributū, Monachos habere expressè prohibeat, nos iuxta ipsius mentem, omne à supra expresso diversū exterioris vestimēti genus, quale est illud, quod apud Benedictinos cuculla, & Hispane cogulla, vocari solet, quæ regulæ S. Basilii manifestè cōtrariatur, seu aliam quamuis formā, vel materiā, omnimodo ꝓhibemus.

Omnia ex c. 22. reg. Fus.

Epistola 1. ad Greg. Theolog. ibi calceus vilis quidem sit pretij, verum, qui vsū sui citra defectum suppleat Reg. Breu. 50. 70. 86. 167.

Eodem c. 22.

De vitandis ijs, quæ possunt institutum impedire. Cap. VII.

CVm D. Basilii institutum Monasticū sit, quidquid ipsius quietem, & trāquillitatē impedire potest, aut perturbare, veluti eleemosynas petere, cōfessiones secularium audire, verbum Dei populo prædicare, Collegia ad Philosophiam, vel Theologiam, seu alias scientias addiscendas habere, seu Religiosos ad vniuersitates studiorū causa mittere, omninò prohibemus. Ne istarum rerum studio dediti laudabile manuū laboris institutum deserant. Poterūt tamen Sacerdotes, siue Choristæ in suis Monasteriis necessarios cōscientiæ ad se gubernādum, casus, & Sacræ Scripturæ interpretationem adiscere. Quorum vnus à laboribus liber, studio vacabit, vt quotidie

Eleemosynas petere adeò monachis nō licebat, vt ēt de recipiendis illis in casu necessitatis dubitarēt, Reg. breu. 284.

Multarum literarum studia Basilius respuit Regu. breu. 235.

Hoc proprium erat Prælatoris

tidie

eadem Regul. bre. 235. quia tamen ob gubernij occupationes sæpissimè non possũt, ideo constituitur vnus continuus exhortator, scilicet, vel Prælatus, vel alius de ipsius mandato.

tidie per dimidiæ saltem horę spatium, Religiosos omnes de pręceptis Domini & ad salutis animæ, virtutisq; progressum, & perfectionẽ, necessaria ex Sacra Scriptura conscientię instructione, possit (vt necessariò debebit) ędocere, necnon festiuis diebus pro Prælati arbitrio currentia Euangelia loca in suis Ecclesiis, & non extra declarare. Ne tamen aduenientium ad Monasterium fideliũ necessitati, vel deuotioni charitatẽ, & consolationem, denegemus, vnum tantum in quouis Monasterio, qui secularium cõfessiones audiat, permittimus.

Tempore D. Basilij vnus Monachus in quolibet Monasterio deputabatur, qui posset respõdere dubijs cõscientiæ aduenientium Reg. Fus. c. 45. Ep. 1. ad Greg. Theo. ibi sit igitur locus, &c. ab omni hominum commertio liber.

De situ, & fundatione Monasteriorum.
Cap. VIII.

Mandamus quoq; quod Monasteria non proprius ab Oppidis, quàm per duo milliaria, neq; cũ minori, quàm vigintiquatuor Monachorum numero denuò fundentur, & quod in vnoquoq; ppetua sit filiatio, neq; ex vno ad aliud Monasterium Monachi mutari possint, nisi ad prælaturas, seu nouas fundationes, vel si fortè alicuius delictũ, & subsequens scandalum, aut diuturna, & grauis, dummodo dolus non subsit, infirmitas aliud postulauerit.

Constit. Monasticarũ cap. 8. aliàs 9. & 19. aliàs 20. & 21. aliàs 22.

De receptione Nouitiorum. Cap. IX.

Poterit vnusquisq; Abbas de cõsensu sui Capituli Nouitios, seruata Cõcilii Trid. & aliarũ Apostolicarũ sãctionũ forma, ad habitũ, & professionẽ admittere: ita tñ, vt in eorũ receptione dęclaretur, quisnã in Choristã, vel in laicũ Monachũ recipiatur. Si quis aũt in laicũ receptus, siue ꝓfessus; postea, vel ex Superioris licentia, vel aliàs qũolibet, sacris initietur, tàm ipse ordinatus, quàm Superior, qui talẽ licẽtiã dederit, perpetuã ab ordinibus suspẽsionem, & vocis actiuæ, & passiuæ priuationẽ, nõ aliter quàm per Sedẽ Apostolicã dispẽsandi, ipso facto incurrant, alijs pœnis arbitrio Superiorũ infligẽdis. Volumus tamẽ, quod Monachi Laici, qui vigintiquinq; ętatis, & quartũ professionis annũ adimpleuerint, eãdẽ vocẽ actiuã habeãt, ac si in sacris fuissẽt ordinati; Passiuã quoq; in his omnibus officiis, ac muneribus, quibus spiritualis iurisdictio necessariò (velut Abbatũ, Priorũ, Nouitiorũ Magistri, & similiũ) annexa nõ est. In Diffinitores verò, siue Cõsiliarios sẽper dimidia pars ex laicis, reliqui ex Sacerdotibus eligãtur. Capitula autẽ, tàm Prouincialia (in quibus ad minus viginti Monachi cõgregari debẽt, non quidẽ per antiquitatẽ, sed per aliorũ suffragia eligẽdi) quàm Cõuẽtualia taliter celebrẽtur, vt sẽper maior pars, vel saltem æqualis suffragiũ ferẽtiũ, sit ex Laicis, et aliter factũ nullius sit momẽti. Circa locũ autẽ, & alias præcedentias; Volumus Sacerdotes omnibus præferri, inter Laicos verò, & Choristas etiam Diaconos extra Chorum, & alia cultus diuini ministeria, nulla sit differentia, sed vnusquisq; secundum suæ professionis antiquitatem præferatur.

Quilibet Abbas poterat nouitios recipere de consilio tamen suorũ Monachorum reg. breu. 112. Ideo Summus Põt. has adhibet cautelas, ne paulatĩ plures sacris ordinentur, & ex Regula D. Basilij in regulam S. Benedicti, vel S. Frãcisci deueniatur, vult enim vnũquemq; in sua vocatione, vt Ecclesia circũamicta varietate, pulchritudo resplẽdeat, et cõseruetur.

Alludit ad Bullam Greg. xiij. vbi p antiquitatẽ supplebantur, quam corrigit.

De Constitutionibus faciendis, & approbandis. Cap. X.

Concedimus etiã prædictis Monachis Reformatis, vt ad pręsentium exequutionẽ, & declarationem, necnon ad D. Basilii Regulę obseruãtiã, Cõstitutiones cõcernẽtes, & aliàs quascũq; ad cõmodiorẽ, & fęliciorẽ ipsorũ, in virtute, & Religione ꝓgressũ, cõstituere, mutare, & innouare, ac declarare liberè, & licitè possint, dũmodo pręlẽtibus, vel reliquo D. Basilii instituto, seu Regulę, sacro Cõc. Trid. seu Apostolicis aliis sanctionibus, cõtraria nõ sint, easdemq; exequtioni statim mãdare, ita tamẽ, vt illas saltẽ intra quinquẽniũ, à Sede Apostolica faciãt cõfirmari. Quas Cõstitutiones Regulas, & statuta, seu Reformationẽ, & Regulæ S. Basilii innouationẽ, interpretationẽ, & dispẽsationẽ Motu proprio, et ad nullius petitionis instãtiã, sed ex certa nostra sciẽtia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsẽtiũ confirmamus, statuimus, & ordinamus, ac omnes, & singulos, tã iuris, q̃ facti defectus, si qui desup qũolibet interuenerũt: i illis supplemus; desiderãtesq; illas, sic practicari, recipi, & introduci, omnibus, & singulis dicti Ordinis Monachis, seu aliis quibuscũq; ꝑsonis Ecclesiasticis, seu secularibus, quacũq; dignitate fulgẽtibus, sub excõmunicationis pęna, prohibemus, ne illarũ introductionẽ, seu dictæ Reformationis augmẽtationẽ, & propa-

Reformati possunt per sese solos Cõstitutiones condere, et exequi.

Regulam S. Basilij Motu proprio sic interpretatur, cõstituit, modificat & dispensat.

Excõmunicationis pœna cõtra impedientes, retardantes, seu dissuadentes Reformationem.

propagationẽ, directè, vel indirectè, prohibere, retardare, seu quocũq; modo impedire, vel Monachos, seu Monachũ aliquẽ volentem illã acceptare, dissuadere, audeant, vel præsumant.

Executio committitur Sanctio Episcopo Giennen.

Quapropter Venerabili Fratri nostro Sãctio Episcopo Giennen (eoq; deficiẽte dilecto filio nostro, & Apostolicę Sedis in Regnis Hisp. Nũcio) p p̄sẽtes mãdamus quatenus ipse infra duos mẽses à die pręsẽtationis harũ literarũ cõputãdos, dictã Reformationẽ ĩ oĩbus dictę Prouinciæ Monasteriis, faciat publicari, atq; illos Monachos, qui illã acceptare voluerint, ad illa duo Monasteria recipi, & reduci, si qui aũt ĩ illis inueniãtur, quibus Reformatio minus placeat, ad alia nõ reformata trãsire. Deinde Capitulũ Prouinciale Monachorũ Reformatorũ ĩ Monasterio S. Basilii Eremi del Tardõ, celebrari, in quo ipse per se, vel si negotiis præpeditus fuerit, per alium probũ, & Religiosũ virũ pręsideat, et visitatorẽ Prouincialẽ, Diffinitores, Monasteriorum Abbates, & reliquos dictæ Cõgregationis Reformatę officiales, ex ipsis, & per ipsos Reformatos, liberè, & sine vlla personarum restrictione, eligi faciat, necnõ de omnibus aliis ad felicẽ Reformationis progressum tractari.

Corrigit Bullã Greg. xiij. vbi Abbates nõ in Prouĩciali, sed in Cõuentuali Capitulo eligebantur.

Finito primo Capitulo expirat executoris potestas.

Quo primo dictæ Cõgregationis reformatæ Capitulo finito, omnẽ eiusdẽ Episcopi, seu Nuncii potestatẽ, iurisdictionem, seu superintendentiã, circa dictos reformatos; volumus expirare, eosdemq; Abbati dicti Ordinis Generali taliter subiacere, vt ipse per se, non verò per alium, nisi fortè ex eadẽ Cõgregatione reformata Monachũ, possit illos tàm in capite, quàm in mẽbris visitare, corrigere, et emẽdare, nõ verò in aliquo cõtra supradictã Reformationẽ, seu Cõstitutiones ab ipsis faciendas, & à Sede Apostolica approbãdas, in cõmuni, vel cum aliquo particulari dispensare; vel quidquã aliud mutare, seu innouare, neque Monachos reformatos à suis Monasteriis, & alia, quacũq; de causa, auferre, seu alios ab ipsis etiã ad breue tempus, recipi facere, vel aliud quidquã ordinare, seu statuere, in quo ipsos possit pturbare, seu quomodolibet inquietare

Abbatis Generalis potestas circa Reformatos, limitatur.

Poterũtq; dicti Monachi reformati procuratorem ad Romanã Curiã eligere, & ibidẽ pro dictę Cõgregationis negociis tractãdis, quãdiu voluerint, habere. Alios autẽ in Hispaniis existẽtes Monachos, qui dictã Reformationẽ acceptare, & ad dicta duo Monasteria transire noluerint, permittimus iuxta illorũ antiquũ viuẽdi modum in aliis eorum Monasteriis cum suis distinctis Superioribus permanere, quos tamẽ vlterius crescere, seu aliquos Nouitios, aut noua loca, recipere prohibemus. Decernẽtes irritũ, & inane, si secus ab ipsis fuerit attentatum. Solummodoq; dicta duo Monasteria del Tardon, & Vallis de Galleguillos, cũ aliis ab eorum Monachis reformatis denuò iuxta præsẽtem Reformationem fundandis, volumus Nouitios recipere, augeri, & augmentari.

Reformati possũt habere suũ specialem procuratorem in Curia.

Monachi nolẽtes reformari, relinquũtur ĩ suo antiquo viuendi modo cũ suis distinctis Superioribus, Prouĩcialibus, sed prohibentur augmẽtari.

Reformati possunt Nouitios & noua loca recipere.

Non obstantibus quibusuis iuris cõmunis impedimentis, vel inhabilitatibus, necnõ Cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Prouinciæ prædictorum, etiã iuramẽto, cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoq; indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, eiusq; Abbati Generali, necnon dictæ Prouinciæ, eiusq; Superioribus, & Monachis, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac clausulis, & decretis in cõtrariũ pręmissorum quomodolibet cõcessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores pręsentibus pro expressis habẽtes, hac vice dũtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; cõtrariis quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica cõstitutæ, munitis, eadem fides habeatur, quæ præsẽtibus ipsis haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Septembris, Millesimo sexcentesimotertio, Põtificatus Nostri Anno Duodecimo.

M. Vestrius Barbianus.